AUTHOR:

TITLE:

RECTOR COMMILITONI-
BVS CERTAMINA...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1835]

Master Negative #

93-81213-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG93-B1219          Acquisitions     NYCG-BT
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B1219               RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:     AD:02-05-93
  CC:9668  BLT:am     DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:        UD:02-05-93
  CP:gw      L:ger     INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:s      PD:1835/            REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:         COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  245 10   Rector commilitonibvs certamina ervditionis propositis praemiis in ann
       vm 1835 indicit‡h[microform].
  260      Lipsiae,‡bTypis Staritzii. Typogr. Acad.,‡c[1835].
  300      12 p.
  LDG      ORIG
  QD       02-05-93
```

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXXXV

INDICIT.

CAL. NOVEMBR. A. MDCCCXXXIV.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Innatum hominibus est et imitari et aemulari. Imitantur, qui participes laudis fieri cupiunt; aemulantur, qui excellere, neque homines solum, sed etiam bestiarum quae sollertioris sunt et generosioris indolis; homines vero pro gentium moribus alii alia consectantes. Sunt, quibus patrium est corporis viribus, ut quibusdam Helvetiorum, decertare; sunt, qui armorum crepitu telorumque vibratione belli simulacra repraesentent, ut barbarorum multi; Hispanorum est tauros in furorem actos dextre configere; pugilatu Britanni palmam quaerunt et velocitate equorum: hoc hodie imitamur imitatores Germani, haud sane sapienter, quasi virtus equitis sit fugere aut insequi fugacem: ipsi quod olim ludi genus, sicut alii Europae populi, exercebamus, ut ferrati equites adversis hastis concurrerent, aeque desitum est, atque ut de principatu contenderent poetae. Nam et Musae, ereptis seriis, vel conticuere, vel solitariae levia ludunt; loricas autem et galeas robigo in armamentariis obducit, ex quo iniurias lege, non armis vindicare didicimus, mox fortasse redituri ad arma, vanis metu detracto legibus, humaniusque viso vita frui nefarios, quam interfici a facinorosis cives probos. Quantum ab his omnibus distat inventrix artium atque cultrix Graecia, quae ab antiquissimis temporibus ita delectata est certaminibus, ut quacumque occasione, quae honesta et liberalia studia esse putabantur, praemio proposito ad contentionem provocarentur. Quod quum ab iis cepisset initium, qui opibus pollentes vel filiabus maritos quaererent fortissimos, vel funus insignis viri honorare vellent, mox ita percrebuit per omnem Graeciam, ut vix ulla civitas inveniretur, quae non festos dies et solemnia sacra publicis certaminibus celebraret. Nec tam de magnitudine praemii, quam de gloria certabatur, ut fere qui *ἀγῶνες χρηματῖται* vocabantur minus nobiles essent quam *στεφανῖται* illi, in quibus sola e sacris frondibus corona daretur victoribus. Ac facile intelligitur, quantopere id accendere animos debuerit ad exercendas colendasque artes eas, quibus quis et sibi et genti suae et patriae summam laudem aeternamque famam posset acquirere.

Omnium autem maxime admirabile institutum fuit illud, quo Pisam in Elide ad ludos Olympicos cuncta conveniebat Graecia. Quid enim maius potuit aut illustrius excogitari, quam eiusmodi certamen, quod quoniam universae Graeciae commune esset atque ab omnium civitatium advenis et ageretur et spectaretur, victorem ita nobilitabat, is ut et ipse et genus eius et civitas totam superasse Graeciam putaretur? Inventumque etiam qui praemium dabant iudicibus nomen est, quod dignitatem ac magnitudinem talis victoriae splendidissime declararet, quum dicti sunt iudices Graeciae. Ita factum est, ut victoria Olympica in summa felicitate numeraretur, maximique honores decernerentur ei, cui, ut ait Pindarus, *ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας γλεφάρων ὑψόθεν ἀμφὶ κόμαισι βάλοι γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας.* Vigebat autem tantopere hoc certandi studium, ut non viri solum, sed etiam adolescentes atque adeo pueri pro aetatis gradibus commissi in solemnibus ludis de praemio contenderent, quique victores iudicati essent, eorum nomina lapidibus inscripta memoriae posteritatis traderentur. Neque eae tantum artes, quae corporis viribus aut exercitatione, equorumve regendorum peritia continentur, sed illae quoque, quae scientiae atque ingenii sunt, musica potissimum et poesis recitatioque carminum, in certamen sunt productae: ut non mirum sit, tanta undique aemulatione concitata honestas et liberales artes laetissime, multoque laetius quam apud ullam aliam gentem effloruisse. Hinc recte haec certamina ab Romanis, qui ea sero et corruptis iam moribus recepere, Graeca vocata sunt: indigna scilicet habita erant Romana gravitate ab his, qui quos contemptim ludos dicebant, spectabant avidissime.

Multum ab his differunt, quae nostrum aevum novit hominum litteratorum certamina. Graeca illa publice atque in omnium conspectu agebantur: nostra haec in occulto, ut nec qui certet nec quocum sciatur, et non arte certandi aliquis, sed velut in tenebris eventu superior evadat; illic statim qui victor esset apparebat; hic diu exspectanda est iudicum sententia; illic victoris, quia omnes videbant, certa victoria, victique aperta fortuna; hic victo ignoratio in publicum et latendi vel iudices opportunitas, victori autem victoriae non maior quam quae in iudicum iudicio fiducia. At, inquiat quis, etiam apud Graecos non spectatores, sed iudices iudicabant. Profecto: esse enim debebat, qui praemium tribueret: isque antiquissimis temporibus ille erat, qui instituisset certamen et praemium propo-

suisset, ut apud Homerum Achilles: sed testis iudicii erat omnis corona spectantium, ut iniquius posthabito non deessent defensores. Quemadmodum Achilles apud Homerum, sic Olympiae Iphitus, a quo ludi illi instituti feruntur, solus officio iudicis functus est, mansitque is mos apud successores Oxyli: amplificata autem illa solemnitate auctus paullatim est numerus iudicum, sed tamen ut variaverit. Nam quinquagesima Olympiade, ut refert Pausanias V. 9. 4—6. duo ex Eleis electi sunt Hellanodicae: idque fere observatum usque ad Olymp. LXV. vel XCV. (nam corruptus est apud Pausaniam numerus) qua novem constituti sunt, quorum tres equestria certamina, tres quinquertium, tres caetera curarent. Mox altera ab hac Olympiade decimum addi placuit: tertia autem et centesima tredecim, ex singulis tribubus singuli, delecti; sed, parte ditionis ab Arcadibus erepta, quum octo tribus superessent, a quarta et centesima Olympiade octo fuerunt Hellanodicae; octava autem post centesimam cum tribuum numero rursus ad decem aucti mansere. Nec leve erat hoc munus aut expers laboris. Nam priusquam iniretur, per novem menses in aedificio, cui *Ἑλλανοδικαιῶν* nomen erat, ab iis qui *νομοφύλακες* dicti sunt instituebantur: eratque in officiis eorum et equos explorare, quique eiusdem aetatis et roboris essent, componere, et hominum qui certaturi essent exercitationes moderari pariaque committenda deligere, ipso autem in certamine videre ne quid vel casu vel dolo interveniente non rite ageretur, quique deliquissent, iis poenam irrogare, denique iudicare de victoria coronareque victores. Apertum est autem, multo magis iudicibus opus fuisse in illis certaminibus, in quibus eruditiorum artium et ingenii iudicandae essent virtutes. Nam in his rudis multitudo fere incerta fluctuat, atque, ut universe quid magis minusve placeat sentire possit, tamen aliorum indiget iudicio, qui ipsi illarum artium periti sint ac liberali disciplina formati. Itaque nominatim de comoedia traditum est, Athenis et in Sicilia iudices numero quinque fuisse. Auctor est Hesychius, ita scribens: *πέντε κριταί· τοσοῦτοι τοῖς κωμικοῖς ἔκρινον, οὐ μόνον Ἀθήνησιν, ἀλλὰ καὶ ἐν Σικελίᾳ·* item scholiastes Aristophanis, cuius verba infra afferentur. Hinc proverbium, *ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται.* De eo Hesychius: *ἐν πέντε κριτῶν· ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ ἐστίν. πέντε δὲ κριταὶ τοῖς κωμικοῖς ἔκρινον.* Explicatius Zenobius Proverb. III. 64. *ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται· παροιμιῶδες, οἷον ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ εἰσίν. εἴρηται δὲ*

ἡ παροιμία παρόσον πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος. Eadem fere Suidas. Non est, cur haec non vere tradita esse credamus, tametsi, qui suspiciosior sit, aliquid movere dubitationis possit. Nam usitatissimum fuit Graecis quinarium numerum dicere, ubi aliquem quemcunque numerum exempli caussa nominare vellent: quod paucis indicavi ad illud Aristophanis in Nubibus v. 757.

εἴ σοι γράφοιτο πεντετάλαντός τις δίκη·

quibus in verbis τὶς ad numerum pertinet, ut sit δίκη τινῶν πέντε ταλάντων. Et istiusmodi ludorum iudices non semper neque in omnibus certaminibus quinque fuisse apparet ex iis, quae Timotheus tibicen apud Lucianum in Harmonide c. 2. T. I. p. 853. dicit: καὶ γὰρ οὖν καὶ ἐν τοῖς ἀγῶσιν οἱ μὲν πολλοὶ θεαταὶ ἴσασι κροτῆσαί ποτε καὶ συρίσαι, κρίνουσι δὲ ἑπτὰ ἢ πέντε ἢ ὅσοι δή. Sed operae pretium est singulare factum considerare, quod narrat Plutarchus in vita Cimonis c. 8. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος Ἀψεφίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος· ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ᾽ ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον. ὁ μὲν οὖν ἀγὼν διὰ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. Hic quum illa addiderit Plutarchus, δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον, coniecerunt ex eo quum alii docti, tum Fr. Gu. Tittmannus in egregio libro, quem de rebus publicis Graecorum scripsit, p. 299. praetores ex singulis tribubus singulos esse creatos, dubitanter tamen, quia Pollux VIII. 87. scripsit: καὶ κληροῦν δικαστὰς καὶ ἀθλοθέτας ἕνα κατὰ φυλὴν ἑκάστην· καὶ στρατηγοὺς χειροτονεῖν ἐξ ἁπάντων. Eadem cum circumspectione hanc rem tetigit C. Fr. Hermannus in Graecorum antiquitatibus politicis §. 152. not. 6. conferri iubens Boeckhium in Corp. Inscr. p. 294. qui tamen difficultatem non penitus sustulerit. Nos nihil tribuendum putamus Polluci, scriptori nec docto et valde negligenti, sed verissiman esse censemus Boeckhii sententiam, quae quum propter alias caussas maxime probabilis est, tum confirmatur Androtionis, de quo ille eodem in volumine Inscriptionum p. 906. disputavit, testimonio apud scholiastam Aristidis p. 485. qui decem praetores ita enumeraverat, ut adiecta demorum nomina consuetum ordinem tribuum sequerentur, nisi quod ex una tribu Acamantide duo memorati sunt praetores, Pericles

et Glauco: quorum Periclem, quum trium ultimarum tribuum praetores in scholio non integro desint, pro uno ex illis tribubus praetore suffectum fuisse suspicatur Boeckhius. Hoc quidem parum veri simile est, siquidem consentaneum erat, ubi sufficiendus aliquis esset, ex eadem eum tribu capi, cuius praetor vacuum deseruisset munus suum. Sed mittamus hanc quaestionem, quoniam et alia coniici possunt, nec parte scholii deficiente certi quid statui posse videtur. Illud tamen ex isto scholio satis clare intelligitur, praetores, ut alios magistratus, ex singulis tribubus singulos esse captos. Dixi haec, quoniam illud ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον in istam sententiam acceptum videbam. At non puto istud dicere voluisse Plutarchum: nam sic potius dixisset, ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἕνα. Scilicet, etsi non minus accommodate ad illam interpretationem, tamen, uti debebat, scripsisse eum arbitror, κρῖναι δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἑκάστης. Nam sic demum et recte loquutus est, et cur ita sit loquutus apparet. Haec enim iam est verborum sententia: *decem quum essent, ab unaquaque tribu eos iudicare iussit:* quo significavit, non quinque e quinque tribubus sortitum esse archontem, sed, quoniam decem praetores essent, voluisse ut altercationis componendae caussa etiam pro caeteris quinque tribubus accederent alii quinque iudices. Ita confirmat Plutarchus, quod tradunt grammatici, quinque in ludis scenicis iudices fuisse: quumque ipse de tragoediis, grammatici autem de comoediis loquantur, non inepte videmur coniicere, ex omnibus decem tribubus sorte ductos esse iudices, sed quinque eorum tragoediis, alteros quinque comoediis esse praefectos. Consentaneum autem erat, imparem esse numerum, ne paribus sententiis anceps maneret victoria. Nam et poterat fieri et factum esse credibile est, ut unus vel duo iudices primas deferendas censerent ei poetae, quem quattuor vel tres inferiorem iudicarent. Documento est, quod scripsit Aristophanes in Avibus v. 445.

ὄμνυμ᾽ ἐπὶ τούτοις πᾶσι νικᾶν τοῖς κριταῖς
καὶ τοῖς θεαταῖς πᾶσιν·
εἰ δὲ παραβαίην, ἑνὶ κριτῇ νικᾶν μόνον.

Scholiastes ibi: ἔκρινον ε΄ κριταὶ (sic scribendum pro οἱ κριταί) τοὺς κωμικούς. οἱ δὲ λαμβάνοντες τὰς ε΄ ψήφους εὐδαιμόνουν.

Sed revertor ad illud proverbium, ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται, quod apertum est sumptum esse ex Epicharmi quodam versu anapaestico. Pergit de eo Zenobius: σύγκειται οὖν παρὰ τὸ Ὁμηρικόν, θεῶν

ἐν γούνασι κεῖται· ἐπειδὴ οἱ κριταὶ ἐν τοῖς γόνασιν εἶχον ἃ νῦν εἰς γραμματεῖα γράφεται. Eadem Suidas, apud quem *ἐγγράφεται* legitur. Homeri verba exstant Iliad. XVII. 514. XX. 435. Odyss. I. 267. 400. XVI. 129. Ad primum illorum locorum scholiastes: *ἐν τοῖς κόλποις, διὰ τὸ τὰ ἐν αὐτοῖς ἀποκείμενα πρόχειρα εἶναι. οἱ δέ, ἀπὸ μέρους τῇ δυνάμει.* In postrema explicatione consentit scholiastes Aristophanis ad Ran. 347. *ἡ δὲ δύναμις ἐν γόνασι· καὶ Ὅμηρος· θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.* Ad Iliad. VI. 92. autem, ubi de peplo genubus signi Minervae imponendo sermo est, sic scribit scholiastes: *οἱ δέ, ὅτι γούνατα καὶ τὰς ἱκετείας φησί· λέγει γάρ· ἀλλ᾽ ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται· τουτέστιν ἐν τῇ τῶν θεῶν λιτανείᾳ καὶ δεήσει.* Portentose vero scholia Palatina ad Odyss. I. 267. et 400. *ταῖς τῶν ἀστέρων κινήσεσιν, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν γονάτων. ἀπὸ γὰρ τῆς τῶν ἀστέρων κινήσεως γίνονται τοῖς ἀνθρώποις τὰ εἱμαρμένα.* Heynius ad Iliad. XVII. 514. dubius inter varia haesitabat, multo obscuriora esse putans, quae apud Zenobium et Suidam leguntur. Nitzschio autem ad Odyss. I. 267. vehementer miror probari potuisse illorum inventum, qui *ἐν γούνασι* idem quod *ἐν δυνάμει* esse voluerunt, quia antiquus sermo genua pro roboris sede habuerit. Ista quidem explicatione nihil excogitari alienius ab antiqui sermonis simplicitate potuit. Nam est quidem in genubus robur, quia collabitur corpus, si genua non sustinent: sed qui tandem roboris usus et corporis virium, ubi nec standum neque incedendum neque omnino aliquid corpore, sed mente ac voluntate agendum est? Ubicumque enim illa formula usurpatur, de arbitrio deorum et consilio sermo est. Ex quo satis planum est, proxime verum illa accedere, quae apud Zenobium et Suidam leguntur, a quibus non longe *ἐν κόλποις* illud quorumdam abest. Nam quasi tesseras illi intelligendas putabant, quas in gremio positas haberent dii: rectius sortes dixissent, quum praesertim non nimis dissimile sit, quod Iovem in bilance sortes mortiferas ponderare idem Homerus finxit.

Apud Romanos quoque de quinque iudicibus poetarum aliquid proditum est a commentatore Horatii ad Serm. I. 10, 38. his verbis: *Maecius Tarpa fuit iudex criticus, auditor assiduus poematum et poetarum in aede Apollinis seu Musarum, quae nisi a Tarpa aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in scenam non deferebantur.* Sed hoc testimonium, de quo docte disseruit Weichertus in Poetarum Latinorum reliquiis p. 334. seqq. merito suspectum

est viris doctis: tametsi illud non incredibile est, quum a Neronis temporibus iudices poetarum scenicorum memorentur, de qua re dixit Langius in Vindiciis tragoediae Romanae p. 24. in numero quoque adscitum esse morem Graecum.

Praefati haec sumus, optimi Commilitones, quoniam nova institutione vobis quoque et certandi et praemia capiendi opportunitas dabitur. Decretum est enim providentia et liberalitate Supremi publicae institutionis Praesidii, ut nostra quoque in Vniversitate litterarum, sicut in aliis Academiis, quaestiones studiosis iuvenibus proponerentur, ad quas qui optime respondissent, praemio ornarentur. Quod genus aemulandi quum atibi magnum studiorum incitamentum esse existimetur, ne apud nos quidem visum est desiderari debere, praesertim immutatione, quae ad melius tenderet, rerum nostrarum omnium fieri coepta. Et profecto litterae non posthabendae sunt caeteris artibus, quas genius seculi ut plenas lucri expertesque periculi fovet praecipue. Est enim revera suus cuique aevo genius, quo nomine eam necessitatem appellamus, quae occulta quadam vi mentes hominum ducit. Ea quo tendit, sequimur, plerique caeci, multi sperantes, aliqui resisti non posse videntes. Nam dum liberi esse videmur, servimus vel maxime, et si quae est libertas, posita est in eo, ut quis quo rapiamur intelligat. Hic igitur seculi genius, magnae rerum omnium et haud minime artium conversionis accelerator, id agit enixissime, ut aemulatione animis iniicienda urgeat hominum studia. Itaque non solum publice exponendi copia datur, quae quique vel perite elaboraverint vel sollerter invenerint, vel sedulo ad eximiam pulcritudinem aut magnitudinem educaverint, verum etiam praemia proponuntur superantibus caeteros, quae ad certandum invitent alantque et augeant industriam. Inter homines litteratos quidem iam dudum usitatum erat, ut praemium constitueretur ei, qui indicatam aliquam difficilem aut obscuram alicuius doctrinae partem optime explicuisset illustrassetve: translatumque id a doctoribus est etiam ad discentes, ut hi quoque eo acrius studiis litterarum operam darent. Eo consilio Viri Summi, quorum supremo arbitrio nostrae res Academicae gubernantur, quotannis quaestiones proponi iusserunt Commilitonibus, quas explicarent dum apud nos discendi caussa versantur, i. e. eo tempore, quo et commorantur Lipsiae, nondum exacto quinquennio Academico, et ante quam in Candidatorum numerum sint recepti. Intelli-

guntur autem Candidati, qui vel ab Ordinis Theologorum ad id constituto collegio, vel ab Iurisconsultorum Ordine pro praxi examinati sunt, vel apud Medicorum Ordinem examen practicum aut doctorale superaverunt, vel ab Ordine Philosophorum Magistri artium Doctoresque philosophiae sunt creati. Spatium ad elaborandas scriptiones concessum est novem mensium, quibus exactis non amplius admissio scriptionibus erit: reliquis tribus anni mensibus Ordines explorabunt scripta et de iis iudicabunt. Quaestiones quisque Ordo de consensu Decani cum universo collegio constituet, constitutasque Decani mittent Rectori non serius, quam die XIV. ante abdicationem Rectoratus; Rector eas tradet Academiae Programmatario, publicandas programmate. Annus scribendis iudicandisque dissertationibus convenit cum anno Academico, cuius et initium et finis est pridie Cal. Novembr. Indicabuntur quaestiones illae Commilitonibus non solum programmate Programmatarii, evulgando Calendis Novembribus, sed etiam iterato in ephemeridibus Lipsiensibus diurnisque urbanis. Iisdem in scriptis nomina edentur eorum, qui praemiis ornati fuerint, quorum etiam Rector ea in oratione, qua se munere abdicabit, honorificam mentionem faciet. Ordines Theologorum, Iurisconsultorum, Medicorum singuli unam, Philosophorum Ordo, qui trifariam divisus est, tres proponet quaestiones, quae omnes depromentur ex theoreticis partibus doctrinarum, nisi quod Philosophorum Ordinis tertia classis, quae mathematicas et physicas et oeconomicas disciplinas complectitur, si visum fuerit, discedere aliquando ab ista regula poterit. Praemia quotannis sex distribuentur, ab Theologorum, Iurisconsultorum, Medicorum Ordinibus singulis unum, itemque ab Ordinis Philosophici tribus classibus. Quorum Commilitonum scripta proxime ad praemiis donata accedere iudicata fuerint, collaudabuntur, ornabunturque honorifica mentione. Praemium est cusus ea caussa aureus numus memorialis: sed optio dabitur inter numum istum et, quos pretium eius aequabit, quinquaginta Ioachimicos. Elaborationem scriptionis certamini destinatae nemini licebit praetexere, ut se assidue audiendis scholis subducat. Dissertationes Latino sermone scriptae distinctisque litteris pure exaratae ante Cal. August. Decanis tradendae sunt. Patriae linguae usus in sola tertia classe Ordinis Philosophorum concessus est, sed sic tantum, si id Ordo diserte permiserit, quaestioque eadem lingua fuerit proposita. Vnicuique dissertationi dictum aliquod inscribendum est, adiiciendaque ei tessera obsignata, eodem dicto inscripta, quae praenomina et nomen scriptoris, ac patriam domiciliumque patefaciat, asseveretque fide data, qui nominatus sit vere scriptorem dissertationis esse. Libelli, qui alieni auxilii suspicionem fecerint, non ornabuntur praemio. Qui dissertationem Decano tradet, accipiet ab eo schedulam eodem dicto notatam, quod dissertationi traditae erit inscriptum. Non aliter quam prolata ista schedula tesserae, quae non resignatae fuerint, dissertationesque ad quas eae tesserae pertinent, repeti a Decanis poterunt. Repetendae sunt autem intra quattuor a distributis praemiis hebdomades, quia tum tesserae non resignatae delebuntur. Commentationes eae, quibus praemia decreta fuerint, in actis Ordinum asservabuntur: manebunt tamen scriptorum propriae, licebitque eas per bibliopolam evulgare aut ut dissertationibus inauguralibus uti, ea tamen lege, ut, nisi diserto concessu Ordinis impetrato, nullo modo in titulo praemii accepti mentio fiat. Explorationes iudiciaque de scriptis certantium ita instituentur, ea ut Decani iis ex suo quisque Ordine Professoribus, ad quorum disciplinam maxime pertinebunt, separatim consideranda atque inter se comparanda committant. Hi Professores scripto suam sententiam una cum ipsis commentationibus cum Decano quique suo, Decani autem cum singulis deinceps Ordinis sui Professoribus communicabunt, conventuque Ordinis habito de praemio decernent, decretumque illud per litteras Rectori die XIV. ante abdicationem Rectoratus significabunt.

Hae scriptae sunt huic instituto leges. Propositae sunt autem hunc in annum quaestiones haece.

Ab Ordine Theologorum:

Expendantur rationes, quibus ducti Davides Schulz et Henricus Augustus Schott censuerunt, Paulum epistolas ad Ephesios, Colossenses, et Philemonem in captivitate Caesareensi, non Romana conscripsisse.

Ab Ordine Iurisconsultorum:

Praeceptorum iuris Romani de evictionibus brevis descriptio.

Ab Ordine Medicorum:

Observetur primum, quantum pili et ungues intra tres menses crescant, et qui sunt intacti, et qui sunt decurtati, deinde quomodo pili canescant.

Illum in finem pars eorum cuti proxima colore immutabili v e.

oxydo plumbi aut acido nitrico tingenda est et ope mensurae accurate definiendum, quousque pars colorata intra tres menses a cute removeatur, idque in pilis observandum est et unius eiusdemque hominis et hominum aetate et sexu diversorum. Quomodo canescentes pili comparati sint et crescant armato oculo exploretur. Quid vero ex his omnibus de natura et vita pilorum et unguium colligendum sit explicetur.

Ab Ordines Philosophorum classe prima:

Quaeratur utrum idea absoluti summum et unicum philosophiae principium esse possit.

Ab eiusdem Ordinis classe secunda:

Explicentur quam fieri poterit plenissime et accuratissime leges dialecti, qua Graecorum poetae bucolici sunt usi.

Ab eiusdem Ordinis classe tertia:

Quaeritur quae ad mercimonia idoneae plantae in Saxonia colantur vel possint coli.

Hinc primo historia exhibenda erit illarum plantarum, descriptioque generis earum, atque usus, ad quem vel adhibeantur vel possint adhiberi; deinde regiones indicandae erunt colendis iis aptissimae pro caeli natura situque locorum, in quo altitudo a superficie maris et inclinatio ad solem spectanda, proque soli conditione, quae chemice et geognostice exploranda erit; denique herbae illae ad doctrinae botanicae leges definiendae erunt, describendaeque pro iis, quae iis propria sunt ut speciebus et varietatibus, considerato systemate naturali et perquisito embryone.

Habetis, optimi Commilitones, materiam, in qua et elaborare utiliter et praemium laudemque consequi possitis. Itaque qui respondendo ad has quaestiones contendere voletis, quum caeteras quae scriptae sunt conditiones ut diligenter observetis rogamus, tum illud potissimum mementote, ne, hoc stadium ingressi, interea consuetum cursum studiorum intermittatis, commentationique scribendae tantum studii atque operae impendatis, ut abducamini a caeteris quae vobis perdiscendae sunt doctrinae. Id enim et potest facile evenire, semel incensa vincendi cupiditate, et evenisse alibi certantibus cognovimus. Ideo provide sapienterque in iis quas supra posuimus legibus scriptum est, non negligendam aut intermittendam esse consuetam auditionem scholarum. Caeterum iudices habebitis et iustos et aequos.